

- Super jumentu sellulam  
 Ponit vitae fiduciam.
12. Ad forum postliminii  
 Bovis fert pellem mortui,  
 Non tardat se per sanctas  
 Dum festinat ad nundinas.
13. Sed ut intrat emporium  
 Facit venale corium,  
 Quod putat magni pretii  
 Sicut decorem pallii.
14. Participes commercii  
 Capacitatem corii  
 Pedum mensurant terminis  
 Sutorum testimoniis.
15. Unibovem nullus juvat,  
 Solus pellem magnificat,  
 Pro nummis octo tunicam  
 Bovis largitur sordidam.
16. Post expletum commercium  
 Ascendit jumentum suum,  
 Distento ventre turgidum,  
 Retrorsum vertendo gradum.
17. Unum habens argenteum  
 Intrat lucum frondiferum,  
 Qui dum ventris purgat limum  
 Nummatum trahit meritum.
18. Anum dum certat tergere,  
 Herbam festinat rumpere,  
 Sed herbam vellens repperit  
 Quod gens avara diligit.
19. De nummis tres sextarios  
 Mox offendit absconditos,  
 Quos in flaccenti sacco  
 Ponit mox facto turgido.